

6

ORATIO  
*De*  
CERTITUDINE

GRATIÆ  
JOSEPHI ADJUTI  
Sacræ Theologiæ Doctoris,

*In Auditorio Majori celeberrima atq; inclytæ  
Wittenbergensis Academia solenniter habita Cal. Septemb.  
ANNO 1644.*



WITTEBERGÆ  
Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr,  
clō Io c XLV.

ORATIO

CERTI LIBRARI

C. R. A. T. I. A.  
JOSEPHI



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



*Inclytis, Magnificis, Nobilissimis, Amplissi-  
mis, Excellentissimis atq; Prudentissimis Viris:*

**DOMINIS PRÆSIDI,  
CONSULIBUS, SYNDICIS ET SE-  
NATORIBUS REGIÆ CIVITATIS  
VRATISLAVIENSIS:**

Dominis benefactoribus suis benignissimis hoc  
justæ gratitudinis testimonium qualecunq; jure  
meritoq;

*offert, dicat, consecrat:*

D. J. A.



Um Vestrorum Civium, tum  
imprimis Vestra polcant merita: atq; ad-  
eò mea cogant desideria Vestra benefi-  
cia: ut aliquo æternitatis monumento  
in exemplum posteritati tabulis inscri-  
beretur. Hæc, vitum est, de certitudine  
gratiæ oratione inscribere. Ut fiducialiter cum Apostolo  
Paulo uno ore unanimesq; diceretis: *certus sum enim, Rom. 8.  
quia neq; mors, neq; vita, neq; angeli, neq; principatus, neq; v. 8.  
virtutes, neq; instantia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; al-  
titudo, neq; profundum, neq; creatura alia poterit nos separa-  
re à charitate Dei, que est in Christo Jesu Domino nostro.*  
Hisce enim verbis, teste Hugone Cardinale atque aliis  
glossis in omnium credentium loquitur personâ Apосто-  
lus, & non in suâ tantum. Nam is & alijs salutis certitudi-  
nem

A 2

nem

*Cor. 1. 2.* nem prædicabat: quos & Spiritus S: testimonio DEI filios  
*v. 12.* esse, & se scire quæ; eis à DEO donata esse asseverabat. Ni-  
mirum hanc pœnitentibus promittebat certitudinem A-  
postolus. Pœnitens enim omnis certitudine vera: fidei  
certus est de peccatorum remissione. Quippe cui ita  
*Ezech. 33.* sunt peccata remissa, ut remittens, teste Ezechiele Prophe-  
*v. 12. & 18.* ta, prorsus illorum obliviscatur: is enim vero certus est de  
*v. 22.* remittentis gratia. Quia hic nunquam seridò pœnitentes  
deserit: nisi forte prius deseratur; atq; adeò nec eum de-  
serentes deserit: sed adjuvat fiduciam indulgentiæ polli-  
cens ac per verbum prædicationis assiduè pulsat admo-  
nens. Est enim is paratus iuvare: qui non cessat cordis  
*Apo. 3.* ostium pulsare. Quapropter pulsantis hujus vocem qui-  
*v. 20.* cunq; audiunt audientes aperiunt: aperiens amplectun-  
tur; amplectentes ei adhærent, adhærentes sequuntur,  
utiq; de ejus gratiâ assecurantur. Nam eum asyli favorem  
in vera fide pœnitentibus promisit; quemadmodum im-  
pœnitentibus denegavit. Nemo itaq; impœnitens Epicu-  
ræus atq; voluptatum mancipium sibi certo peccata esse  
remissa: certò se esse in DEI gratiâ, carnali securitate, quâ,  
excusso DEI timore, peccatis indulget; certoq; sic vitam  
æternam consecuturum blandiatur. Nemo fide mortuâ,  
ac bonis operibus destitutâ hanc sibi DEI gratiam, pecca-  
torumq; remissionem polliceatur. Nemo extra normam  
patefacti divini verbi hæreticorum fide cum fundamen-  
to pietatis atq; veritatis pugnante hanc gratiæ certitudi-  
nem præposterè sibi suadeat. Nemo deniq; suis qualitati-  
bus ac dignitatibus nitatur, quo hanc consequatur. Quia  
hinc haud dubio sequitur desperatio nedum dubitatio.  
Nostra enim opera propter imperfectionem sibi annexam  
sine Christo mediatore non pariunt fiduciam. Quare ad  
hunc



hunc mediatoꝛem unice est confugiendum. In quo  
tanquam in turri fortitudinis, ac petra refugij tuti eri-  
mus.

Dixi autem à Vobis in Christum fidelissimis atq; in  
ejus membra pientissimis, inclytissimi Vratislavienses,  
quorum memoria est in benedictionibus coram D E O:  
quorum fides & opera in exemplum apud homines: quo-  
rum singulare & celeberrimum nomen jubare solis clarius  
ubiq; terrarum fulget: cogi mea desideria. Quia ea in me  
(ut cetera omittam) fuistis pietate & beneficiâ, ut de  
absenti, quem neq; vidistis, neq; cognovistis optimè me-  
riti fueritis: ac maximis beneficiis abundèq; accumulave-  
ritis. Quocirca æquum erat, ut in argumentum tam gra-  
tiarum actionis, ac meæ erga vos observantiæ & gratitudi-  
nis: quam vestræ pietatis manifestationem hoc monu-  
mentum vobis consecrarem. In compensationem verò  
maximorum vestrorum in me beneficiorum neutiquam.  
Neq; verò realiqua vel maxima compensaverit mea tenui-  
tas, quæ vel ad ea recensenda prorsus est impar. Sunt  
enim vestra in me beneficia ampliora atq; augustiora,  
quam quæ à me compensentur! Imò verò & majora quam  
quæ oratione explicentur! Ecquis enim vestram munifi-  
centiam oratione complecteretur? Ecquis beneficentiam  
in exules, benignitatem in pauperes, pietatem in Deum  
satis deprædicaret? Hanc enim verò ut omnes celebrant,  
perpetuoq; celebrare gestiunt: ita pro dignitate nemo  
ornare poterit. Quamobrem & ego jure eam prætereo:  
quam humillimè supplicans, non dedignemini hoc exi-  
guum monumentum gratiarum actionis demptâ nube,  
sereniori fronte admittere. Eoq; non offerentis opellam,

sed studium atq; observantiam aspicere. Ego vero quantum in me erit, cum assiduè vestra in me collata beneficia illustrabo: tum præcipuè in conspectu omnipotentissimi Dei vos piè, manè, meridiè, atq; vesperi sistere non desinam. Ut is benignissimus pater vos salvos atq; incolumes conservet: potentissimè in hoc exulceratissimo seculo ab omnibus periculis atq; adversis incursionibus, quâ invisibilium inimicorum, quâ visibilium hostium tueatur: utq; de cœlo sancto suo, vestro benedicat regimini: quò omnes vestri conatus, consilia, atq; actiones ad sui nominis laudem, gloriam, & honorem, ecclesiæ sanctæ utilitatem, subditorumq; salutem felicissimè cedant, per Salvatorem nostrum Jesum Christum in secula seculorum benedictum: A M E N. Optimè valete. Data Wittebergæ 6. Idus Januarij Anno 1645.

*Vestrarum Inclitarum, nobilissimarum atq; amplissimarum dominationum devotus cultor  
& apud Deum intercessor*

D. JOSEPHUS ADJUTUS.





Uemadmodum DEI cognitio per fidem JESU CHRISTI est beatitudinis inchoatio: ita justificatio seu peccatorum remissio est vitæ aternæ certa atque immota expectatio. Quos enim, inquit Apostolus, predestinavit: hos & vocavit: & quos Rom. 8.1 vocavit hos & justificavit: quos autem justificavit: illos & glorificavit. Et alibi: nosse enim te inquit Spiritus Sanctus, consummata justitia est: Et scire justitiam & virtutem tuam radix est immortalitatis. Sap. 5. Nimirum ex fide DEUM cognoscente atque in eum eunte animæ omnis species, omnisque beatitudo procedit; ut arboris omnis pulchritudo ac decor ex radice eam nutriente, provenit. De hac itaque peccatorum remissione non est dubitandum. Qui enim de hac dubitat, is quo se vertat, nescit. Nam, ut qui timore angitur ne cadat, is semper inquietus est. Proinde tam à fide, quam à spe facile decedit: quia tutam mansionem apprehendere nescit. Dubitatione enim haud dubiè confunditur: nedum ad desperationem pondere quodam premitur. Quemadmodum enim qui compedibus constrictus est atque aggravatus, is liberè ac licenter nec currere potest, nec equitare, nisi fortè, ut foeminæ, cum timore cadendi: ita qui dubitatione fluctuat, is nec ad Redemptoris gratiam currere potest, nec in ejus meritis quiescere. Quæ is quidem amittit qui in illis dubiè quiescit. Atque ut securis à vite palmites separat: ita eum à CHRISTO dubitatio præscindit. Perverse enim cogitationes separant à DEO. Exemplo nobis sunt fastosi scribæ & pharisæi, qui de CHRISTI potentiâ dubitantes signum ab eo quærebant: sed nec illum nec signum habebant. Quæretis (inquit) me & non invenietis. Generatio mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Jona Propheta. Aliud signum atq; petierunt, audiebant: quia non credebant, sed videntes quotidie mirabilia operantem magis ac magis de ejus potentia perplexi fiebant. Petebant autem signum de cælo, teste Lucâ, & ipse de centro terræ signum dandum illis, manifestissimis argumentis præ se ferebat: Quia semper dubii de ejus potentia fuerunt: nec ut simplices unquam in eum crediderunt: propterea qua diversa audierunt, qua impii semper recesserunt.

Divi-

Divisum enim cor, teste Osea, ad perditionem ducit, non ad Salvationem. *Divisum est, inquit, cor eorum, nunc interibunt. Quare? quia dicit Jacobus Apostolus. Vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis. Qui autem (inquit Spiritus Sanctus) ambulat simpliciter ambulat confidenter.* Et quidem cujus fortitudo est misericordia Domini, is confidenter ambulabat, nihil timens, nec daemone, nec umbraticum veterem hominem. Cujus fiducia est promissio Domini, simpliciter ambulat, non dubitat, quin promissum acquirat. Sed cum Serenissimo vate dicit, *mibi autem adherere DEO, bonum est: ponere in Domino DEO spem meam.* Ubi Doctorum Aquila Augustinus sic fatetur: *quamdiu ergo nondum adhaesisti: ibi pone spem. Fluctuas: premitte ad terram hanc, anchoram: nondum haeres per presentiam: inhaere per spem.* O aurea verba fiduciam non diffidentiam docentia! Confidentes enim vult nos Deus, non claudicantes, simplices non multiplices, *Cum simplicibus enim sermocinatio ejus* Certos in sua fide non haesitantes. Securos denique de promissione, non dubios de peccatorum remissione. Caeterum quibus mediis de hac remissione peccatorum simus certi, ostendam. Quanquam autem hac gravissima res est, ac supra meam omnemque humanam capacitatem tamen regulam fidei ductus atque anchoram spei tentus, confixus clavo divini timoris ac ligatus vinculo sancti amoris in gratiam magnificentissimorum, nobilissimorum, atque amplissimorum Dominorum Vratislaviensium, qui suam pietate me praevenierunt ac maximis beneficiis accumulaverunt, conabor aliquid in praesenti dicere: daturus operam pro mea tenuitate, ut me in eo recte percipiatis.

Proinde vos Sapientissimos Auditores, quam humillimè oro, ac suppliciter obtestor, ut me purgatis auribus audiatis; atque ut omnes animis adesse non dedignemini: Qui corporibus adestis, Dicam autem quam potero brevissimè.

Gratiae certitudo, seu peccatorum remissio. Auditores Sapientissimi nobis est certa atque immota, fidei justificantis certitudine sempiternas Clementissimi Dei Patris in Christo promissiones, atque ejus meritum apprehendentis: cui quemadmodum falsum subesse non potest; ita ejus effectus, qui est peccatorum remissio, est certus atque verus. Est enim fides justificans, cujus ad-  
aequatum

adæquatum Objectum est Christus cum suo merito, instrumen-  
 talis hujus gratiæ certitudinis causa. Illa enim sola, teste Apo-  
 stolo, justificamur, sola vitam æternam, quam unigenitus Dei  
 Filius in se credentibus promisit, optima spe habemus. *Ei, in-*  
*quit, verò qui non operatur, credenti autem in eum qui justificat im-*  
*pium, reputatur fides ejus ad justitiam secundum propositum gratiæ.* Rom. 5.  
v. 5.  
 Ubi Syrus noster sic reddidit:

אֱלֹהִים יְהוָה בְּלֹא מְעָרָה אֵלֶיךָ יְהוָה  
 חַסְדֵּךְ וְיִשְׁרָאֵל לְעֵלְיֶיךָ אֵלֶיךָ יְהוָה  
 אֵלֶיךָ יְהוָה אֵלֶיךָ יְהוָה

id est, *ei verò, qui non operatur, sed credit modò in eum qui justificat*  
*peccatores, imputatur fides ad justitiam.* Quando (sed credit mo-  
 dò) dicit Apostolus, pacem quidem conscientiæ fidei certitu-  
 dine docet; Desidiam verò ab operibus non. Etenim, hæc, di-  
 vina scriptura ubique credentibus inculcat. Veruntamen fi-  
 de dicimur solâ justificari, ut gratuita Dei misericordia sine  
 nostris operibus pateat. Qua itidem quæ non speramus, ea  
 credimus. Impiorum n. æterna supplicia certissima ac minimè  
 dubia futura credere hujus vi cogimur, nedum credimus.  
 Quod si hac, quæ non speramus, ea credimus; multò fortius  
 quæ speramus, ea credere debemus. Deus enim, cujus opus  
 misericordia est munificentissimus est in miseratione: tardissi-  
 mus in punitione: firmissimus in promissione. Quare æquè  
 fidelis in retributione. Promisit autem Deus, qui omnes homi-  
 nes vult salvos fieri, quoscunque pœnitentiam agentes atq; in  
 Filium credentes in gratiam recipere, ac peccata eis remittere.  
*Ait enim: qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autem in* Job. 3.  
v. 36.  
*credulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.*  
 Hisce verbis. Omnis profectò difficultas credentibus tolli-  
 tur, omne iter dubitationi ocluditur, omnis deniq; hæsitatio  
 procul abjicitur. Siquidem ita certus est de vita æterna justi-  
 ficantis

B

ficantis



ficantis fidei certitudine is, qui credit: quemadmodum certus  
 est de damnatione æterna is, qui incredulus est, prout perhibe-  
 tur per virginem Evangelistam. Et verò hic propter increduli-  
 tatem suam judicatus est, qui juxta Redemptoris beneficia re-  
 spuit, ac æterni Dei Patris humanitatem Filium pro omnium  
 salute mittentis, nimiamq; qua dilexit humanum genus, cha-  
 ritatem, spernit. Ille autem cum immotâ fide, ac plenâ cordis  
 2. Cor. c. 3. fiducia, de qua scriptum est: *Fiduciam talem habemus per Chri-*  
 v. 4. *stum ad Deum* effusum pretiosissimum Redemptoris apprehen-  
 dit sanguinem, atq; ei inhæret; Tum vel maximè in Deo pro-  
 mittente, magna cum securitate, acquiescit, nedum credit;  
 certè justificatus est. Quapropter minimè dubius est. Nam  
 de justificatione non fluctuat, de peccatorum remissione non  
 hæsitat, de gratia non angitur. Sed in securitate mentis, in  
 pace conscientiæ, in cordis gaudio exultat, lætatur, gloriatur.  
 Illius Apostolici insignis dicti memor; *Justificati ex fide, pacem*  
 Rom. 5. *habemus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum. Per quem*  
 v. 1. 2. *habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus, & gloria-*  
*mur in spe gloriæ filiorum Dei.* Nihil hæc Apostolicâ voce optatius,  
 nihil gratiosius, jucundius nihil. Hisce enim verbis certissi-  
 mam Apostolus futuræ gloriæ expectationem suavi quadam &  
 cœlesti aurâ motus, Christi fide justificatis, qui factus est omni-  
 bus in se credentibus salus, vita, atq; advocatus, concedit: ne-  
 dum mentis pacem atq; animi tranquillitatem. Spes enim, in  
 qua electi gloriantur, est certa expectatio æternæ vitæ, ad quam  
 2. Cor. c. 5. fide nodò tendunt, necdum enim comprehendunt. *Per fidem*  
 v. 7. *enim ambulant, teste Apostolo, non per speciem.* Cujus fructus est æ-  
 ternitatis gloria cum Deo, quem de facie ad faciem sine vela-  
 mine in Patria videbunt. In ipsa enim divinitatis suæ substan-  
 tia eum aspicient. Nam teste Johanne scimus, *quoniam cum*  
 1. Job. c. 3. *apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum sicuti est.* Si-  
 v. 2. *miles autem immortalitate atq; etiam impassibilitate Deo qui-*  
 dem erunt comprehensores. Majestate verò non. Pax autem  
 mentis iisdem non negatur. Quia de salute propria ut qui cer-  
 ti, haud animo anguntur. Angor enim, qui prorsus à justifi-  
 catis, oppositâ pâce, exul est ex incertitudine ortum habet.

Siqui-

Siquidem pax mentis non angorem, non anxietatem, sed  
 requiem conscientiae atq; tranquillitatem eis tribuit. Ait enim  
 glosa: *Habere pacem ad Deum, est habere pacem pectoris in presenti.*  
 Ex hac autem pectoris requie oritur summa fiducia accedendi  
 ad Deum. Nam, teste Johanne: *si cor nostrum non reprehenderit* 1. Job. c. 3.  
*nos: fiduciam habemus ad Deum.* Ex fiducia formidinis omnis v. 21.  
 propulsatio, juxta illud Esaiae: *Ecce Deus Salvator meus, fiduciali-* Es. 12. v. 2.  
*ter agam & non timebo.* Ex formidinis propulsatione securitas, 2. Paral.  
 teste Spiritu Sancto: *credite in Domino Deo vestro, & securi eritis,* c. 10. v. 20.  
*ex securitate hilaritas teste eodem Spiritu Sancto, securi mens, quasi* Prov. c. 15.  
*juge convivium, & alibi: divitis & pauperis si est cor bonum, in omni* v. 16.  
*tempore vultus illorum hilaris.* Ex hilaritate Gloria. Gloria nostra Eccl. 26.  
 haec est, testimonium conscientiae nostrae. Quibus cum profecto v. 4.  
 haesitatio non potest stare. Quia privative opponuntur. Pax 2. Cor. c. 1.  
 enim pectoris, intrepidus accessus fidei ad Deum, certum & in- v. 12.  
 fallibile testimonium Spiritus Sancti, fluctuationem omnem  
 excludit. Ecquis enim in tanta divina pace constitutus sen-  
 serit unquam fluctuationem? Quare summam sentit securita-  
 tem & tranquillam pacem. Ubiunque enim excluditur haesitatio,  
 ibi remissionis peccatorum certitudo ponitur. Sunt enim haec  
 contrariae, ut calidum & frigidum, quae ab eodem  
 subjecto invicem sese excludunt. Nam certitudo securitatem  
 mentis tribuit; Incertitudo fluctuationem atq; animi haesita-  
 tionem secum trahit. Quum enim incertus est quispiam,  
 semper haesitat, quid statuendum sit. Proinde eam incertitu-  
 dinem exclusam esse Jacobus Apostolus, a quocunq; fidei, vo-  
 lens, ait: *Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui* Jac. 1. v. 6.  
*dat omnibus affluenter, & non impropere: & dabitur ei. Postulet*  
*autem in fide, nihil haesitans, qui enim haesitat, similis est fluctui maris,*  
*qui a vento movetur & circumfertur.* Qui, inquit Apostolus, suo-  
 rum peccatorum pondere pressus haesitat super caelestia petere  
 praemia: is ita decidit a fide, quemadmodum fluctus maris, qui  
 citò transit ac recedit. Quia non de clementia omnipotentis-  
 simi Dei, qui dives est in misericordia; quiq; solem suum facit  
 oriri super bonos & malos, sed de sua praesumit dignitate. Quae  
 praesumptione quidem infidelis revertitur, nedum vacuus.



Dubius enim in fide, infidelis est. Quapropter quantumvis postulet, pulset, lachrymetur, non accipit, sed repulsam audit, atq; januam clausam invenit. Quare? quia dubitatione, fluctuatione, duplici animo ad Deum abundè dantem minimeq; impropertem accessit. Quia genua ad petendum flectit, sed mente diffidit. Hic Deum tentat: non orat. Non perseverantiam in bonis operibus, non patientiam in tribulationibus postulat. Nam fiducialiter accedendum est ad Deum, docente Apostolo Paulo. Ait enim: *ad Thronum gratia ejus: ut misericordiam consequamur & Gratiā inveniamus in auxilio opportuno.* Hāc enim fiduciā omnis servilis timor exul est. Nec enim timendum est, ubi Gratia regnat, ubi misericordia dominatur: ubi ipse judex caro & frater noster est, non jam judex, sed judicatus, ut nos in judicatos atque indemnatos dimitteret. In Christo enim Jesu, in quo modò regnat Gratia & misericordia: ab omni damnatione liberati sumus. Proinde accedamus ad patrem per ipsum fide, non tantum quā certo obtinemus præteritorum peccatorum remissionem, gratiamq; ne rursus in ea cadamus; sed etiam confidentia, constanter atq; audacter ut certi de impetranda peccatorum venia eam petamus. Ait enim Apostolus: *In Christo & su Domino nostro, habemus fiduciā & accessum in confidentia, per fidem ejus.* Hic, non generalem mysteriorum assensum, sed nudam notitiam exprimit Apostolus: Sed specialem fiduciam, quā Dei gratiam credimus, quāq; peccatorum veniam certò habemus. Accedere enim ad Deum, & habere confidentiam, voluntatis sunt actus, non intellectus. Fiducia siquidem, quæ anxietati opponitur, eum suo contrario in voluntate est. Eiusq; Objectum promissio est de Christo tantum, cum suo merito.

Generalis autem assensus est in intellectu, cujus Objectum sunt omnia credibilia. Ideò hīc differt à fiduciā. Hāc itaque cum fidentia fiducia, cujus accessus ad Deum est summa cum certitudine conjunctus, accedamus, inquit Apostolus, petamusq; peccatorum remissionem, & de ea impetranda certi simus. Nam quemadmodum Hebræi aspicientes serpentem æneum in palo exaltatum, à serpentum ignitorum moribus certò

Ebr. 4.  
v. 16.

Ephes. 3.  
v. 12.



certò curabantur. ita hujus fidei aspectu Christum Jesum in  
cruce passum fideles intuentes certò sanantur, ac liberantur à  
morsibus dæmonum: qui veneno peccati & malitiæ pleni sunt.  
Et quemadmodum intuitu serpentis erecti, qui Christi fuit fi-  
gura certam habebant vitam aspicientes temporalem: ita hâc  
verâ fide in Christum credentes certam habent vitam æternam,  
cujus illa figura fuit. Ait enim Dominus Jesus: *Sicut Moses ex-* Job. 3.  
*altavit serpentem in deserto: ita exaltari oportet Filium hominis: ut* v. 14. 15.  
*omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Cui  
Salvatoris autoritati ita subscribit S. Augustinus: *Quomodo, in-* tract. 12.  
*quit, qui intuebantur illum serpentem: non peribant morsibus serpen-* in Job:  
*tium: sic qui intuentur fide mortem Christi: sanantur à morsibus pec-*  
*catorum. Sed illi sanabantur à morte ad vitam temporalem: hic au-*  
*tem ait, ut habeant æternam: Hoc enim interest inter figuratam i-*  
*maginem: & rem ipsam. Figura præstabat vitam temporalem: Res*  
*ipsa, cujus illa figura erat, præstat vitam æternam.* Habemus ergò  
hac confidentiæ fiducia æternam vitam nedum certam pecca-  
torum remissionem. Proinde quiescamus, pacem habeamus,  
confidentes simus: quia certò hujus fidei virtute Christum pas-  
sum intuentis beati erimus, nedum securi. Ait enim Spiritus  
Sanctus per os serenissimi vatis. *Cùm exarserit in brevi ira ejus bea-* Ps. 2. v. 13.  
*ti omnes, qui confidunt in eo.* Ubi doctorum Aquila S. Augu-  
stinus, ita pronunciavit. *Id est, cùm vindicta venerit: quæ impiis &*  
*peccatoribus preparatur non solum eos non attinget, qui confidunt in*  
*Domino: sed etiam ad regnum illis instruendum & sublimandum pro-*  
*ficiet. Non enim dixit: cùm exarserit in brevi ira ejus: securi omnes,*  
*qui confidunt in eo: tamquam hoc solum indè habeant, quod non pu-*  
*niuntur: sed beati dixit: ubi est bonorum omnium summa & cumu-*  
*lus.* Quare hâc confidentiæ fiducia qua in Domino confidimus,  
in q; ejus meritis nitimur: cum certi ac securi sumus, cum vel  
maximè beati erimus. Nihil præterea quærimus. Contenti  
enim sumus. Quandoquidem beatitudo omnium bonorum  
est cumulus, nedum summa satietas, juxta illud: *satiabor cùm* Ps. 16. v. 17.  
*apparuerit Gloria tua.* Hujus autem hæredes quidem sumus, ait  
enim Apostolus: *Non enim accepistis Spiritum servitutis, Rora. 8.*  
*rerum in timore sed accepistis Spiritum adoptionis Filiorum,* v. 14. 15. 16.  
*Dei, in quo clamamus: Abba (Pater) ipse enim Spiritus, testimonium*  
B 3 *reddit*

*reddit Spiritui nostro, quod sumus Filij Dei.* Hic dubitare amplius de peccatorum venia, de Gratia certitudine nefas est quidem. DEUS enim est, qui filiorum adoptionem testificatur, qui in cordibus nostris clamat, Pater, cui maxime credendum est. Is enim testificare falsa non potest. Est DEUS prima veritas, quæ est mensura & causa omnis alterius esse. Quid autem hoc summæ veritatis testimonio verius? quid certius? nec enim humanum est quod fallit, quod illudit, quod mutabile, quod variabile est: Sed DEI veracis, qui mentiri non potest, nec argui à quoquam mendacis. Est autem, inquit Apostolus: *Deus verax: omnis autem homo mendax.* Quare haudquaquam eo hanc nobis testante gratia certitudinem, dubitandum est. Eo enim in cordibus nostris clamante (Abba, Pater,) omnis anxietas tollitur, eo attestante nulla ambiguitas relinquitur. Unde S. Johannes Chrysostronus ait: *Quando verò Spiritus testatur quanam relinquitur ambiguitas? (Et paulo post) suprema illa Essentia, quæ & hoc ipsum largitur, quod promittit, atq; adeo orare etiam iussit, testimonium perhibente, quisnam de dignitate hæc deinceps dubitare audebit? Et S. Bernhardus: Si credis, inquit peccata tua non posse deleri, nisi ab eo, cui soli peccasti, & in quem peccatum non cadit, benè facis, sed adde adhuc, ut credas, quia per ipsum tibi peccata donantur. Hoc est testimonium, quod perhibet in corde nostro Spiritus Sanctus, dicens: dimissa sunt tibi peccata tua. Sic enim arbitratur Apostolus, gratis justificari hominem per fidem.*

Inter Mercatores cui jam data est arrha in testimonium futurae emtionis atq; venditionis: is certus est de foro tenendo. Itidem clementissimus atq; piensissimus, Pater, Cœlestis fori præfectus, volens securitate quadam cingere suos fideles & de gratia certitudine certos reddere, non est dedignatus Spiritum Sanctum suum in arrham & pignus gratia eis dare: Nedum ejus gratiam, testimonium, & suam fidem. Ita est, teste Johanne Evangelista, ait enim: *in hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus, & ipse in nobis: quoniam de Spiritu Sancto suo dedit nobis.* Cui item subscribit Apostolus Paulus. *Qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Et alibi: *in quo & credentes signati estis Spiritu promissionis sancto. Qui est pignus hereditatis nostræ.*

Rom. 3.  
 v. 4.

homil. 14.  
 in Epist.  
 ad Rom.

Serm. 1. de  
 Annun-  
 ciatione.

1. Iob. c. 4.  
 v. 13.

2. Cor. 1.  
 v. 22.

Eph. 1. v. 13  
 2. Cor. 5.  
 v. 5.

v. 5.



*nostra.* Et alibi: *Qui autem efficit nos in hoc ipsum, DEUS, qui de-*  
*dit nobis pignus Spiritus.* Ubi subdit Hugo Cardinalis, per quod  
sit confirmatus & securus. Hoc ipsum hæreditatis nostræ  
pignus præfiguratum est per fructus sanctæ terræ, quos in  
prægustrationem & arrham habendæ & possidendæ illius terræ,  
prout mandaverat Deus per Mosen famulum suum, explorato-  
res inde attulerunt Israelitico populo, assecurantes eum de *Num. 13<sup>o</sup>*  
illius possessione. Cur quæso hanc terram Israelitico populo *v. 24.*  
promiserat Deus? Cur fructus afferri in prægustrationem, ne-  
dum in ostensionem iussit? an ut dubium atq; incertum de il-  
lius possessione eum redderet? Nequaquam. Imò verò ut ma-  
gis magisq; eum animaret, atq; in sua promissione confirma-  
ret. Eodem certè modo nobiscum egit Deus dans Sp. S. suum in  
cordibus nostris clamantem, nedum fidem & sacramenta: ut  
nos in sua promissione confirmaret, atq; immota cordis fidu-  
cia, quæ ad cælum ducit, atq; introducit, animaret: non autem,  
ut dubios ac timidos, quorum pars est mors secunda, efficeret.  
Neque enim timidos, neq; incredulos nos ei vult esse Deus;  
sed de sua misericordia gratis nobis exhibita suisq; promissio-  
nibus præsumentes: Nihilque ei promittenti detrahentes;  
Quotquot enim ei in deserto detraxerunt, neq; crediderunt, hi *Num. 4<sup>o</sup>*  
ibidem perierunt: terramq; promissam nequaquam intrave- *per tot.*  
runt, nedum possederunt. Quoniam increduli fuerunt. Est *cap.*  
enim Deus fidelissimus in promissis, cui vel maximè creden-  
dum est. At illi increduli ei fuerunt, propterea perierunt.  
Nos verò fide illuminante certò in eum credimus, ac nequa-  
quam dubitamus, quin ultra promissum reddat, nedum pro-  
missum solvat. Promiserat enim omnipotentissimus atq; cle-  
mentissimus Deus pientissimo Ezechix Regi, teste Esaia Pro- *Es. 37.*  
pheta, Regem Assyrium Hierosolymam nec ingressurum nec *v. 33. 36.*  
possessurum: nec sessurum in ea, nec imperaturum: sed libe-  
raturum iri, at ultra huic liberationis beneficio necem centum  
octoginta quinque mille hominum Regij exercitus Assyrij ad-  
didit. Promiserat quem elegisset sibi in Sacerdotem ex filiis *Num. 17.*  
Israel, illius virgam germinatum iri, sed cum hoc fructum fe- *v. 8.*  
cit, nedum fronduit & floruit. Item Zachariæ illius sanctissimi *Luc. 1.*  
vatis, *v. 13.*

3. lib. Reg. vatis, atq; præcursoris Johannis Patri pro populo oranti ac  
c. 3. v. 13. gratiam petenti sobolem addidit, nedum ejus exaudita est de-  
Eph. c. 3. precatio. Quid plura? regi Salomoni sapientiam petenti, di-  
v. 20. vitias & gloriam addidit nedum sapientiam donavit. Nimi-  
Jacob. 1. rum dat omnibus affluenter. Potens est enim teste Paulo Apo-  
Job. 16. stolo, plus dare, quàm nos sciamus illum rogare. Ait enim: *Ei*  
v. 23. *autem, qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus aut*  
*intelligimus, secundum virtutem qua operatur in nobis: ipsi gloria in*  
*Ecclesia, & in Christo Jesu, in omnes generationes seculi seculorum,*  
*Amen.* Quod ex his constat, Deum ultra promissum dare.  
Promisit autem geminato cum juramento, nobis in eum cre-  
dentibus ac vitam æternam petentibus, nedum quicquid ad  
hanc pertinet, daturum. Ait enim: *Amen, Amen dico vobis, si*  
*quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Ubi glossa: *Amen, Amen,*  
*quod est juramentum ut de impetratione certi sumus:*  
*quia dubitatio impedit orationem. Bis autem dicit Amen, propter du-*  
*plicem certitudinem. Homines enim solent dupliciter decipere: aut*  
*omnino non reddendo promissum aut deminuendo, sed Dominus quod*  
*promittit, solvit. Unde Psalmus, qua procedunt de labiis meis non fa-*  
*ciam irrita. Sed etiam ultra promissum reddit.* Atqui certitudo  
gratiæ ad vitam æternam pertinet. Est enim hæc illius prægu-  
statio quædam modò in spe, quam postea in re, Deo dante,  
habebimus. Quare eam dat, Si autem dat, habemus, si habe-  
mus, certi sumus, non ergo est quod dubitemus. Quia eam  
ille pollicitus est, in quo semper, est, fuit: & nunquam, non, qui  
in cap. 7. semper promissum duplicat, ac multiplicat, nunquam demit  
libr. Sap. nec minuit. Prout pulchrè scribit Johannes Lorinus, dicens:  
*Est porro liberalis & munificus Deus, plus largiusq; tribuens, quàm pol-*  
*liceatur.* Juramentum autem hoc alibi clarius ac manifestius  
Job. 5. sic pronunciaverat Christus Dominus, dicens: *Amen, Amen*  
v. 24. *dico vobis, quia qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me,*  
*habet vitam æternam; & in judicium non venit, sed transit à morte*  
*in vitam.* O Clementiam! O Misericordiam! Deus ut homi-  
nem ad se attrahat, jurat, & adhuc homo dubitat. O præpo-  
steram hominis pietatem! O cœlesti fulmine profligandam,  
impietatem! Hæc enim Deum perjurum intendit facere, ne-  
dum

¶ Dum mendacem ostendere. Nam eo promittente dubitat: eo jurante angitur! Cui nec opus erat juramento. Deo enim sine juramento credi oportet. Nec enim ejus fidelitas atq; veracitas eum jurare patitur. Si enim gravi viro narranti, aut promittenti sine juramento credendum est, multò magis Deo promittenti sine juramento credamus, necesse est. Juxta illud Johannis Apostoli. *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est*. Et tamen benignissimus Pater hominum, consuetudini condescendens, qui aliquando promissionem juramento confirmare, atq; astringere solent: non est intuitus suam dignitatem, juravit, ut abundantius, teste Apostolo, immutabilem atq; etiam immobilitatem sui consilij hæredibus ostenderet. Ostenderat enim abundanter per promissionem, hanc sui consilij immobilitatem: abundantius autem per juramentum declaravit. *Ut per duas res immobiles (promissionem videlicet & juramentum) quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem. Quam sicut anchoram habemus anime tutam ac firmam, & incedentem usq; ad interiora velaminis.* Fulmina hæc sunt contra adversarios Gratix certitudinem negantes, atq; animas in obscuras turbulentissimarum fluctuationum tenebras conjicientes. Ait enim Apostolus, ut nos, quibus facta est promissio, atq; per juramentum attestatio, fortissimum habeamus solatium: non autem, ut, qualecunq; solatium. Hæc est (Sapientissimi Auditores,) illa fiducia, quâ fidelis cœlestia speculatur, quaq; tanquam in tersissimo speculo omnes hostium insidias circumspicit atq; avertit. Terrena autem omnia respicit & despicit. Hæc, quemadmodum anchora in littore fixa contra ventorum flatus navem tenet, ne mergatur: ita fidelis justificatus ne succumbat contra persecutionum ac tentationum impetus, firmiter tenetur ac firmatur. Hæc deniq; fretus justificatus in judicium æternæ condemnationis, & commertæ mortis non venit: sed jam ante judicij tempus à mortis æternæ obligatione ad vitam æternam transivit. Quam justificatus in præsentem quidem vitam consequitur. Quia eam habere dicitur.

C

Ait

1. Job. 5.

v. 9.

Ebr. 6.

v. 17. 18. 19.

Ait enim Dominus Jesus: *qui credit ei, qui misit me, habet vitam æternam.* Inchoativè quippe habet fidelis justificatus in se vitam æternam manentem, quæ in Dei cognitione, arque ejus adoptione consistit. Quapropter quod dubitet, quod angatur, ei non relinquitur. Omnis enim dubitatio tollitur, omne iter planè anxietati prohibetur. Quia Deus confirmationis atq; etiam juramenti verbo utitur. Proindè pulchrè S. Hieronymus ait: *Idcirco jurat DEUS, ut, si non credimus DEO promittenti, credamus saltem pro salute nostra juranti.*

*Eccles. 2.*

*v. 11. 12.*

Ecclesiastici, (Sapientissimi Auditores) singularem illam admonitionem, qua ut eos, qui ante nos fuerunt, intueamur, hortatur, silentio prætereundam non esse, existimavi: *Respicite, inquit, Filij nationes hominum: & scitote, quia nullus speravit in Domino & confusus est. Quis enim permansit in mandatis ejus, & derelictus est, aut quis invocavit Deum & despexit illum?* Quali dicat, nemo fideliter Dominum invocavit, humiliterq; eum deprecatus est, & despexit illum. *Quia omnis, qui invocaverit nomen Domini salvus erit.* Nemo speravit & derelictus, atq; in spe sua frustratus est. *Quia spes non confundit.* Est enim Deus misericordissimus ac piensissimus invocantibus eum. Proinde horum exempla, qui in eum crediderunt, timuerunt, atq; invocaverunt: ante oculos nobis ponens Siracides admonet, ut

*Joel. 2.*

*v. 32.*

nos, illorum fidem imitantes, eisdem animemus. Memores videlicet quomodo Abel acceptabiliorem hostiam ampliusq; primus obtulerit fide sacrificium, qua testificationem de sua

*Gen. 4.*

*v. 4.*

*Matt. 23.*

*v. 3 & 5.*

*Gen. 5.*

*v. 16.*

adeptus est justitia. Cujusq; sanguis etiamnum nos instruens alloquitur, ut ejus exemplo confortati solatium habeamus, neq; dubitemus. Quomodo Enoch malis Caini in Abel non fuerit everfus, nec illum ultus, sed fide Deum honoraverit, relinquens ei vindictam: & illi acceptus est, qui demum ne mortem videret in paradysum translatus est. Quomodo fidelis Nohe Dei admonentis de fine ac perditione impiorum credens responso aptaverit arcam in salutem domus suæ: aptansq; prædicaverit incredulis mundanis divinam venturam iram. Et institutus sit justitiæ hæres. Quomodo Moses fide animo-

*Gen. 6.*

*v. 4.*

fus

sus factus Pharaonis Filiatione se spoliaverit: eligens magis pa- *Exod. 2.*  
 ti, quàm affluere Ægyptiorum delitiis atq; etiam divitiis: ho- *v. 15.*  
 noremque Regni, quod ei, ut Pharaonis hæredi offerebatur,  
 cum voluptate & divitiis, despiciatui duxerit. Quomodo A-  
 braham credentium Doctor fidelissimus recta voluntate atque  
 veritate Deum exquisiverit, obediverit, atq; ad ejus vocem ex- *lib. Jos.*  
 iverit, quanquam, quò iret, nesciebat: nam fide confortatus *24. v. 2.*  
 nequaquam dubitabat. Hic quanquam progenitorum nul- *Gen. 12.*  
 lum habuit exemplum, teste divinâ Scripturâ, ad fidem unius *v. 12. &*  
 Dei ducens: firmissimè tamen adhærens Deo, ejus fidem & cul- *v. 22. v. 10.*  
 tum apertè prædicavit, sua omnia propter illum reliquit, & con-  
 temsit. Tentatus vir gloriosus ut aliis fidelitatis atq; virilita-  
 tis esset exemplum, semet ipsum exposuit, offerens suum uni-  
 genitum filium: in cujus oblatione omnia, quæ Dei erant, ipsi  
 contradicere videbantur. Quia fides præliabatur fidei, & præ-  
 ceptum promissioni. In illo enim, quem sacrificandum ipsi  
 præcepit Deus, semen promiserat, quod orbem implere debe-  
 bat. Inter tantas Majoresq; pugnas vir gloriosus Abraham  
 non stupuit, nec conquestus est dicens: deceptus sum. Sed  
*contra spem, in spem credidit. In promissione etiam Dei non hesitavit Rom. 4.*  
*diffidentia: Sed confortatus est fide, dans gloriam Deo: plenissimè sci-* *v. 18. & 20.*  
*ens, quia quacumq; promisit Deus, potens est & facere &c: quid di-* *Job. 10.*  
*cam de Josua, qui fide non dubitavit Soli & Lunæ præcipere?* *v. 12.*  
*quid de Davide Adolescente, horrendum atq; immane mon-* *1. Reg. 17.*  
*strum Goliath aggrediente? quid de Gedeone, qui accepto à* *v. 44.*  
*Domino velleris signo, fide munitus cum trecentis viris ag-*  
*gressus est Madianitas? quid de Barach, qui ad uxoris suæ ex-* *Judic. 6.*  
*hortationem prophetantis irruit in Sissaram? quid de Rahab* *6. 12.*  
*pellice, quæ mox cum incredulis civitatis Jericho peritura, au-* *Judic. 4.*  
*dito de Deo omnipotente ab exploratoribus Evangelio credi-* *v. 14.*  
*dit, credens justificatur? Quid deniq; de nostris dicam pro* *Jos. 2. v. 4.*  
 Christo occisis martyribus, qui tanquam ad nuptias adibant  
 supplicia, sustinentes acerbissima tormenta, qui non dubita-  
 bant, sed fide de remunerationis præmio certissimi erant? Fi-  
 dem enim non conjecturam, non æstimationem, sed certitudi-  
 nem,

*Ebr. 12 v. 1* nem, sed substantiam fixam atq; immotam in corde fidelium, juxta Apostolicam definitionem arbitrabantur. Quisnam tantorum Sanctorum, qui fide placuerunt, exempla, quæ teste Apostolo, tanquam nubes nos ab ardore tribulationum protegent, atq; ab æstu hæitationum refrigerant, aspiciens, de peccatorum remissione dubitabit, nisi fortè qui perdidit sustinentiam ac fiduciam? nisi qui articulum fidei, quo remissionem peccatorum credimus ac petimus, negant? nisi qui Christi sanguinem maximâ contumeliâ afficiunt, nedum justitiam spernunt? nisi qui fidem conjecturam atq; æstimationem, non certitudinem asserunt? nos autem fide revelante & conscientia acclamante remissionem peccatorum credimus: nedum speramus. In Christi justitia, quæ perfecta est, acquiescimus. San-

*Rom 15.* etorum exemplis, qui DEO placuerunt, solatium habemus.

*v. 4.* *Quaecunq; enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut*

*1. Macc. 12.* *per patientiam & consolationem Scripturarum, spem habeamus. Qua-*

*v. 9.* *re non est, quòd dubitemus. Nam teste Petro Apostolo, atque*

*adeò universa Scriptura, idem perhibuit testimonium Deus:*

*eundem & dedit nobis Spiritum, eadem dona, eandem fidem,*

*nihil discernens inter nos & illos. Air enim: Qui novit corda*

*Deus, testimonium perhibuit, dans illis Spiritum Sanctum sicut & no-*

*Act. 15.* *bis. Et nihil discrevit inter nos & illos fide purificans corda eorum.*

*v. 8. 9.* Hæc autem fides, quâ purificantur corda credentium, ut verè purificentur indubia, & non fluctuans esse debet. Quia fides omnem prorsus excutere debet dubitationem, ut peccatorum certam obtineat remissionem, si enim vacillat fidelis, & dubitatione angitur: à divinâ misericordia, quæ poenitentium est advocata, suâ dubitatione vacuus procul dubio revertitur. Verus enim fidelis certam ac firmam fiduciam de benevolentia divina concipere debet: à qua si deflectit, dubius quidem infide convincitur. Ac proinde infidelis. Fides enim certitudinem ac firmitatem præexigit. Prout concinnè scripsit Al-

*lib. 1. ad.* phonsus de Castro, dicens: *ut aliquid fides verè appelletur, certi-*

*vers. 10.* *tudinem exigit & firmitatem: in eo, qui eam tenet, alioqui si certitudo*

*vers. c. 10.* *aut firmitas absit, & scrupulus aliquis urget, ea non fides, sed opinio*

*aut*



aut dubitatio censetur. Hac enim solavatione fides separatur ab opi-  
 nione, quod qui credit, tenaciter adheret, à nullo impellitur, ut eum  
 in oppositam partem deflectere valeat. Qui autem opinatur, sic acce-  
 dit suæ sententiæ, ut aliquantulum hesitet, & mobili intellectu assentiat.  
 Quò fit, ut fides & opinio minimè in unum coire possint, multò ergo  
 difficilius coibunt fides & dubitatio, cum hæc magis pugnet inter se. Ideò  
 Apostolus Jacobus, ait postulet autem in fide nihil hesitans. Qui enim  
 hesitat, similis est fluctui maris, qui à vento movetur & circumfertur.  
 Non ergo aestimet homo ille quod aliquid accipiat à Domino. Colligi-  
 tur ergo, manifestè eum, qui dubitat, minimè credere. Atqui nos  
 nequaquam dubitamus, sed firmiter credimus, atq; fiducialiter  
 eam spe speramus; de qua Gentium Doctor pronunciauit, dicens:  
 Spes autem non confundit: quia charitas Dei diffusa est in cordibus no-  
 stris, per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Ubi Hugo Cardi-<sup>Rom. 5.</sup>  
 nalis mentem Apostoli declarans, sic subjunxit. Quasi dicat, <sup>v. 5.</sup>  
 Verè non confundit spes: quia de hoc, quod speramus, jam habemus bo-  
 nam arrham videlicet Spiritum Sanctum: quem habere dicimur in  
 arrham, quando dat nobis spiritualem iucunditatem: in pignus autem,  
 quando facit nobis securitatem quod habemus gaudia paradisi. Qua-  
 propter verè fideles sumus: quia in fide non dubitamus atq; ad-  
 eò ejus certitudine remissionem peccatorum certò credimus.  
 Sed quispiam hoc ipsum meliùs retorqueret in adversarios. Sic.  
 Colligitur ergo manifestè, eum, qui dubitat, minimè credere. (Hæc  
 illorum est sententia) atqui ipsi dubitant. Quare minimè  
 credunt. Jam verò, (Sapientissimi Auditores,) quantum an-  
 gustia temporis passa est, ex sacris literis gratiæ certitudinem  
 probatam atq; ostensam esse arbitror: nunc primùm de dubi-  
 tationis deformitate, tum de adversariorum objectionibus,  
 post de harum solutione, quàm brevissimè differendum super-  
 est. Deformitas itaq; dubitationis maximum quidem est vi-  
 tium. Hæc enim fidem exinanit, promissionem irritam, Chri-  
 sti passionem inutilem, divinam gratiam inanem, Deum de-  
 niq; facit perjurum, nedum mendacem. Et verò fides exina-  
 nitur, atque irrita fit dubitatione promissio. Quia his, quibus  
 Deus promiserat Abraham, eum habiturum imitatores suæ fidei,



præferuntur, propriæ dignitates. Nam qui multa habet bona opera, is ex opinione adversariorum certus est de sua salute: nedum summa erigitur fiducia ad sperandum eam: qui verò non, is fluctuat, ac hæsitacione angitur de illa consequenda. Quasi verò ista plus impetrarent, & conscientiam pacarent, quàm fides in Christum. Hæc est lex, quæ poenam atq; etiam vindictam operatur: quæq; Deus magis tentatur atq; irritatur, quàm placatur. Deus enim concedit pacem conscientiæ per fidem Christi, post justificationem seu peccatorum remissionem, quam fideles habent in verâ fide atq; usu Sacramentorum.

Rom. 5.  
v. 1.

*Justificati ex fide, inquit Apostolus, pacem habemus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum. Ubi glossa: Hic appellat justificationem, peccatorum remissionem, vel recessum à peccatis, & detestationem peccandi, quam constat, præcedit motus fidei, quo meremur peccatorum remissionem. Isti autem contra, quam ipse concessit, ac præcepit, laborant. Dubitant enim an certò sint fideles in gratia, post hanc peccatorum remissionem. Hoc planè modo Deus irritatur, nedum tentatur. Quia fides ei non habetur. Deum quippe tentat, qui aliter, atq; ipse præcepit, facere allaborat. Hoc est profectò exinanire fidem, hoc abolere promissionem: quod fit, ubi de salute perpetuò asseritur esse dubitandum. Deus autem fit perjurus ac mendax (ut dictum est) & Christi passio, à qua omnis gratia & peccatorum est remissio, fit inanis; Quia Deus testatur, nos ita suos esse adoptivos filios, & Christi cohæredes: ut Christus est Filius naturalis sibi & consubstantialis; in quo Pater complacuit, & per quem, teste Apostolo Paulo, omnes in eum credentes, Patri placuerunt, ac grati fuerunt, sunt, & erunt. In laudem, inquit gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificabit nos in dilecto Filio suo. Deus enim beneplacito suæ voluntatis per Christi passionem & fidem ad ma-*

Matth. 17.  
v. 5.  
Ephes. 1.  
v. 6.

*jorem suam gloriam, atque immensæ bonitatis manifestationem, mundum perditum sibi reconciliavit: dans universalis redemptionis beneficium: & verâ fide in eum credentibus, particularis remissionis peccatorum in præsentem gratiam, & in futuro seculo gloriam. Teste eodem Apostolo. In quo, inquit,*

quit, habemus redemptionem, & remissionem peccatorum. Et Johan Colof. 1.  
 ne Apostolo, qui habet Filium, habet vitam, & Davide serenissimo v. 14.  
 Rege, & sanctissimo vate. Gratiam & gloriam, inquit, dabit Domi- 1. Job. 5  
 nus. Ubi Doctorum Aquila, Augustinus sic scriptum reliquit. v. 24.  
 Tanta, inquit, dat & malis, & tibi nihil servat? Falsum est quod Psal. 83,  
 tibi promisit? servat, securos esto. Qui misertus est tui, cum  
 esses impius: deseret te, cum factus es pius? Qui peccatori  
 donavit mortem Filij sui: quid servat, salvato per mortem Filij  
 sui? securus ergo esto. Tene debitorem, quia credisti in promisso-  
 rem. Filius quippe Dei tum à pœnâ, tum à culpâ liberavit in  
 se credentes, atq; ascuravit: qui cum habent per fidem & gra-  
 tiæ conservationem. Quorum, teste Johanne, & inhabitator  
 est. Ad eum, inquit, veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Job. 14.  
 Dubitatio autem hæc omnia deformans introducit desperatio- v. 23.  
 nem, ac fidelem Dei redarguit promissionem: oppugnat con-  
 scientiæ tranquillitatem, & Christi opprimit laudem, gloriam  
 atq; veritatem. Quam illa quidem suo impulsu abjicit, ne-  
 dum projicit. Proinde ea arguitur, fides autem suadetur & fi-  
 ducia confirmatur. Habete, (inquit, Salvator) fiduciam, ego sum, Matt. 14.  
 nolite timere. Quemadmodum enim nostra præsumptione & v. 12.  
 dubitatione cadimus è nido divinæ gratiæ: ita fide eam, ejusq; c. 31. v. 21.  
 datoris teste Spiritu Sancto, habemus præsentiam. Quoniam Sap. 1.  
 invenitur, inquit, ab his, qui non tentant illum: apparet autem eis, qui v. 1. 2.  
 fidem habent in illum.

Jam hîc angustè dubitationis deformitate visâ sic, ad  
 fundamenta, quibus Adversarij gratiæ certitudinem fidelibus  
 pœnitentibus, negant, nedum concutere tentant, transeo vi-  
 denda. Sic itaq; ex divina Scriptura argumentantur: & præ-  
 cipuè ex Salomonis concionibus: nescit homo, utrum amore, an  
 odio dignus sit. Item ex Ecclesiastico: de propitiato peccato noli  
 esse sine metu: neq; adjicias peccatum, super peccatum. Præterea ex  
 proverbii Salomonis. Quis potest dicere mundum est cor  
 meum, & purus sum à peccato. Et ex Apostolorum Epistolis  
 Petri & Pauli docentium timore & tremore esse quærendam  
 nostram salutem. Unde apparet nos non esse certos de DEI  
 gratia,



gratia, certitudine fidei. At etiam rationes addunt, quibus probant gratiæ certitudinem esse intolerabilis arrogantiae. Qui enim cognoscit & certò credit se esse in gratia apud Deum: is superbit ac sui æstimatione tumescens, alios præ se contemptui habet. Nam is se justum, alios manifestos peccatores cognoscit. Deinde hæc certitudine gratiæ credità, Christiani evadunt somnolenti, ac bonorum operum incuriosi. Quare hoc aspectu utilis est gratiæ incertitudo. His rationibus & similibus testimoniis tum Scripturæ, tum etiam Patrum, suam incertitudinem de divina gratia amplificare solent adversarij. Verum enim vero, quamvis hæc speciosè & plausibiliter admodum adduci videantur: tamen, si perpendantur certè, phalaras tantum & fucum aliquem, nihil veri solidiq; præ se ferre intelligantur. Nam si certitudo gratiæ superbiam gignit (ut *Matt. 9. v. 24. 22. c. 14. 17. Jac. 4. v. 6.* ajunt) cur eam Deus speciali revelatione manifestat? quod utique adversarij concedunt. Cur Christus Dominus eam suadet? Itane Deus, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, superbiæ autor est? Itane Christus Jesus humilitatis Doctor, nedum exemplar, temeritatis minister fuit? Ecquis tales affanias, ne dicam blasphemias, pronunciare audeat nisi fortè qui deliret? Quoniam, etsi Christum Dominum confidentiam tam remissorum, quam remittendorum peccatorum suasse legitur: superbiæ tamen ac temeritatis occasionem ministrasse, nequaquam deprehenditur. Fiducia (Sapientissimi Auditores) certa de peccatorum remissione non gignit superbiam. Quia non de suorum operum dignitate præsumit; sed de Christi justitia, quod habet, desumit. Justitia autem inhærens adversus Deum insolescit ac proximo insultat. Quod utriusq; iustitiæ exemplo est Phariseus bis in Sabbatho ieiunans, ac de sua dignitate præsumens: Et Publicanus se humilians & in divina misericordia confidens. Hic enim propitiationem, ut peccator, petebat: ille autem de sua insaniens iustitia, ut viperarum progenies, adversus Deum se erigebat, propterea hic prostratus erigitur, ille erectus prosternitur. *Quia maledictus homo, qui confidit in homine, & à Domino recedit cor ejus. Bene-*

*Jer. 17.*

*v. 5. & 7.*

*Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus.*  
Nos itaque publicanum imitantes de nostra justitia prorsus  
desperamus, nedum dubitamus: gratuitam Christi justitiam  
ex qua omnis gratia & justitia est, apprehendimus. Et hac  
nequaquam dubitamus quin certi simus sed confidenter, atque et-  
iam audacter cum serenissimo Rege clamamus: *in te, Domine, spe-  
ravi, non confundar in aeternum: in justitia tua libera me.* Cujus  
personam assumens Sanctus Augustinus, sic loquitur: *Nam si  
attendis ad justitiam meam, damnas me. In tua justitia me erue.*  
*Est enim justitia Dei: quae & nostra fit: cum donatur nobis. Ideo  
autem Dei justitia dicitur, ne homo se putet à se ipso habere justitiam.*  
*Sic enim dicit Apostolus Paulus: credenti in eum, qui justificat im-  
pium. Quid est, qui justificat impium? qui ex impio facit pium. De-  
putatur fidees ejus ad justitiam.* Christiani autem hanc justiti-  
am non fiunt somnolenti: sed pro accepto justificationis benefi-  
cio, ad agendas Deo gratias magis prompti. Quia certò acce-  
ptæ gratiæ, quò magis recordantur: eò amplius ad gratiarum  
actionem compelluntur: timentes ne ingritudinis arguan-  
tur. Ita populus Israeliticus à Pharaonis servitute liberatus, *Exod. 15.*  
Deo egit gratias. Ezechias Rex pientissimus, prolongata ei *v. 1.*  
vità egit gratias. David divina gratia contra Doëg coronatus *Es. 38. v. 10.*  
palàm dicebat. *Confitebor tibi in seculum, quia fecisti.* Ubi S. *Pf. 51. v. 9.*  
Augustinus sic exclamat: *Magna confessio quoniam tu fecisti. Quid  
fecisti, nisi hæc ipsa, quæ supra dicta sunt: ut tanquam oliva fructifera  
in domo Dei, sperarem in misericordia Dei in aeternum: & in seculum  
seculi? Tu fecisti, impius justificare se non potest: Sed quis est, qui justi-  
ficat? credenti, inquit, in eum, qui justificat impium. Quid enim ha-  
bes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non  
acceperis: quasi ex te habeas? absit, ut ego sic glorier, ait iste, qui oppo-  
situs est Doëg, qui tolerat Doëg in terra: donec emigret ille de taberna-  
culo, & eradicetur de terra viventium. Non glorior quasi non accepe-  
rim: sed in Deo glorior. Et confitebor tibi, quoniam tu fecisti: Id est,  
quia tu fecisti: non ex meritis meis: sed ex misericordia tua. Un-  
de patet, fideles habitâ certâ gratiâ, non fieri segnes & desides,  
sed confitentes & gratias agentes. Salomonis verò auctoritas  
allegata certitudinis de divina gratia beneficium non labefa-  
ctat. Quia vitiosè adducitur. Nam cum adversariis contra  
venit: qui conjecturalem justificatis concedunt certitudinem-*  
D (Illa

(Illa autem auctoritas omnem negat certitudinem) tum vel maximè fidei repugnat. Neq; enim impij gravissima scelera operantes dubitant, quin sint odio digni: cum certissimo legis testimonio convincantur, nedum conscientia esse actu obnoxios divinæ iræ, atq; etiam Dei odio dignos. Quare ibi Salomon non loquitur de rebus ad fidem pertinentibus: Sed de externis eventis humanarum rerum, è quibus nemo potest dijudicare, an homines in hac vita displiceant, vel Deo placeant. Quia omnia tam prospera, quam adversa omnibus aequè eveniunt, tum piis, tum impiis. Ita intellexit illum locum Cajetanus, dicens, *significat Salomon, ex rebus externis nos non posse discernere bonum aut malum.* Id ipsum intellexit Pineda *significat, inquit, Salomon iis verbis, omnia in futurum incerta sunt, magnam rerum humanarum confusionem cum bona malis, & mala bonis permiscetur.* Proinde ex isto loco Ecclesiastis contra gratiæ certitudinem nihil prorsus concluditur. Concedimus enim ex eventis externæ fortunæ pio & impio communibus, non posse colligi, divini amoris, vel odij certitudinem. Tum Ecclesiastici testimonium non adversatur gratiæ certitudini. Quia illud sollicitudinem cavendorum in posterum peccatorum, injungit: atq; illorum præsumptionem & carnalem securitatem reprehendit: qui propositâ sibi spe futuræ veniæ pergunt in peccatis, accumulantes peccata peccatis. Hujus explanationis testis est Cornelius Jansonius, qui sic scribit: *Gracè legitur, de propitiatione noli esse sine metu, & intelligitur de obtinenda remissione peccati perpetrandi contra præsumptionem, non de propitia-*

*Idem sentit* *perpetrato, ut habet vulgata, cui textus repugnat.* Non ergò ad-  
*tit Sacro-* monet, ut dubitemus de præteritorum propitiatione: Sed ut  
*boscus* caveamus futurorum peccatorum præsumptionem. Quod &  
*part. 3. de-* nos statuimus, ac plena voce clamamus: peccatis contra con-  
*fens. Bel-* scientiam perpetrandis fidem excuti, Spiritum Sanctum expelli,  
*larm. c. 6.* gratiam Dei, & salutem æternam amitti. Timore verò Domini firmari. Quia per timorem Domini firmiter ac perseveranter homo stat, atq; virtutibus ornatur. Est enim hominis custos Domini timor. Nam sine eo cum virtutum ædificium, tum vel maxime conscientia pax subvertitur. Juxta illud. *Si non in timore Domini tenueris te instanter: citò subvertetur domus tua.*

Post

Pineda in  
Jobum  
6.21.

Post proverbiorum autoritate gratiæ certitudo stabilis atque immobilis manet. Quia ibi loquitur Spiritus Sanctus de peccatoribus, in peccato perseverantibus: quibus nec nos gratiæ certitudinem promittimus. Dicimus enim peccatorem poenitentem, dolentem, gementem atq; in firmo proposito de cætero non peccandi perseverantem esse certum de gratia Dei, certitudine fidei: Etq; esse remissa peccata. Quod & Hugo Cardinalis jam dudum ante Lutherum docuit. Ita enim scribit respondens ad objectionem suam. *Dicimus quod quilibet* Prov. 20.  
*dignè poenitens & in firmo proposito non peccandi de cætero persistens: si diceret, mundum est cor meum: verum diceret, licet multa peccata perpetraverit: quia uti dicit Beda super Lucam capite quarto. Super illud, & statim demisit eam febris. Et super Marcum capite primo idem dicit Glossa. Ubi etiam loquitur de Socro Simonis: Pius DEUS piè poenitentibus, aut non intellecta intelligere facit, aut non intellecta condonat. Unde & Glossa hîc dicit: non dicit Salomon, quis habet mundum cor: quia dicitur Matth. quinto: Beati mundo corde. Et Psalmus, quis ascendet in montem Domini, &c. Postea dicit: Innocens manibus & mundo corde. Reliquis deniq; testimoniis allegatis, & allegandis, aut docetur desperatio de justitia propria, & dignitate operum: aut timor filialis agnoscens Dei iudicium atq; vindictam adversus peccata: Ac iungitur pia sollicitudo de cavendis lapsibus contra conscientiam: dubitatio verò nequaquam. Ita est teste doctorum aquila Augustino quædam illorum testimoniorum exponente. Ait enim ibi: videbunt justî & timebunt. *Quare timemus? quia dixit* Psal. 51.  
*Apostolus: in timore & tremore vestram ipsorum operamini salutem. Quia dictum est in Psalmo: Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Quare cum timore? quia propter hoc, quod ait Apostolus: qui se putat stare, videat, ne cadat. Quare cum tremore? quia dicit alibi: fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto: vos, qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis: intendens te ipsum, ne & tu tenteris. Ergo justî qui sunt modò: qui vivunt ex fide: sic vident ipsum Deum quid illi eventurum sit: ut tamen timeant & sibi. Quid enim sunt hodiè, sciunt: quid cras futuri sint, nesciunt.*  
Hæc cum ita sint) Sapientissimi Auditores) timeamus, & caveamus: ne in peccata contra conscientiam cadamus. Veruntamen*

Rom 8.

1. Cor. 2.  
v. 12.

runtamen de gratiæ certitudine nequaquam dubitemus. Quia Deus hanc promisit, Filius Dei juravit, Spiritum sanctum misit, quo & corda nostra obsignavit. Maxima hæc quidem sunt pignora. Non ea dimittet ille sempiternus sponsus pignora. Tum demum Sanctorum Patriarcharum exemplo hanc ipsam comprobavit. Non ergò obliviscamur quæso tantum Deum, promittentem, & cogitemus in nobis dubitationem Deo recedentem. *Nam si Deus pro nobis, quis contra nos? quis accusabit adversus electos Dei?* fragilitas carnis? afflictio corporis? anxietas mentis? apparatus mortis? Mors ipsa? Peccata præterita? Metus futurorum? Draconis occultæ insidiæ? Diaboli inferorumq; horrenda monstra? inferni ipsius supplicia? Nequaquam. *Quia Deus justificat: quis est, qui condemnet?* nemo. Quapropter labefactet caro: premat corpus. Torqueat mentis cogitatio. Subnascantur querelæ, curæ, diffidentia, desperationes. Instet mors, circudent præterita peccata: Premat futurorum metus: Insidietur infernalis draco: Accusent diaboli; dehiscant inferorum fauces, quantum possunt. Nullo unquam nos tempore in dubitationem conjicient: Aut à Deo optimo maximo; à Domino omnipotente, à Patre indulgentissimo divellent. *Quia Spiritum hujus mundi non accepimus* ut dubitemus, ut separemur; Sed Spiritum sanctum suum Deus dedit nobis, ut sciamus, quæ ab eo donata sunt nobis: sed Filium nostri causâ suum morti tradidit, nedum flagellis & cruci exposuit; In hunc ergò unigenitum Dei Patris Filium, in hunc fructum ventris Beatissimæ Virginis Mariæ in cruce pendentem, nostræ considerationis oculos dirigamus: atq; in meritorum ipsius locupletissimum thesaurum, eos defigamus, in quo tantò securiores sumus, quantò ipse potentior est ad salvandum. Hic sit fundamentum spei nostræ, Anchora navis nostræ, scopus navigationis nostræ, tutissimus portus, ad quem iu quovis turbine confugimus. Ex hoc enim omnis affluentia gratiarum, omnis justitia justorum, omnis remissio peccatorum. Hic nobis est corroboratio in nostra imbecillitate, consolatio in ærumnis, societas in solitudine, fiducia & constantia deniq; in desperatione. Qui suâ potentia omnia continet, suo imperio omnia regit, suâ sapientiâ omnia moderatur; Cui sit laus, honor, & gloria, in secula seculorum, Amen.



94.A 7578

ULB Halle 3  
002 715 147




f  
sb.

1017

1009








ORATIO  
*De*  
CERTITUDINE  
GRATIÆ  
JOSEPHI ADJUTI  
Sacræ Theologiæ Doctoris,

*In Auditorio Majori celeberrima atq; inclyta  
Wittenbergensis Academia solemniter habita Cal. Septemb.  
ANNO 1644.*



WITTEBERGÆ  
Typis JOHANNIS RÖHNERI, Acad. Typogr,  
clō 10 c XLV.

